



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus L. Ne Clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

TITULUS L.

Ne Clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Quest. 1055. quid & quotuplex sit negotiatio & negotium, & qualiter prohibita Clericis sæcularibus & religiosis?

1. **R** Esp. ad primum: negotiatio duplex est, una minus propriè talis, quando res empta & per industriam vel artem mutata meliorque reddita venditur lucificandi causâ, ut dum ex lana confecti panni, ex hordeo cocta cerevisia, ex ferro confecti enses, boves macri saginati dicto sine venduntur. Alia magis propriè dicta, dum res vel merces v. g. vinum, frumentum, panni emuntur, vel alio titulo oneroso acquiruntur, & non immutatæ, carius venduntur, quæ negotiatio etiam mercatura dicitur. Molin. *de just. tr. 2. d. 44. q. num. 2.* Pirh. *h. t. n. 1.* Negotium, quod est actio quedam seu functio, officium, ministerium, aliud est Ecclesiasticum, aliud sæculare, idque vel minus strictè vel propriè tale. Prius ex Abb. *ad h. t.* dicitur, quidquid sæculum, id est mundum & carnem seu carnalem & inordinatam concupiscentiam distamini rationis minimè conformem sapit. eujusmodi plura recensentur *c. 1. h. t.* & ad quæ respiciunt illa Apostoli *ad Rom. c. 2. nolite conformari huic sæculo.* quæque præcipuè quidem Clericis, laicis tamen etiam vitanda. Negotia verò propriè sæcularia laicis licita, de quibus in sequentibus *h. t. capitibus* agitur, illa sunt, quæ republicæ statum sæcularem & politicum concernunt.

2. Resp. ad secundum: imprimis negotiationem strictè acceptam seu merè lucrativam interdictam Clericis ac præsertim religiosis constat ex *c. consequens c. negotiatorem. c. fornicari. dist. 88. & c. ult. de vita & honest. cleric.* ac ita docent. Molin. *tr. 2. de just. d. 342. n. 1. concl. 1.* Less. *l. 2. de just. c. 21. n. 4.* Pirh. *h. t. n. 2.* cum communi ut ait Theologorum & Canonistarum ex ea ratione, quod dedecet eos terrenis lucris inhære, quodque vi ordinationis & professionis specialiter obligatis ad conversationem cum deo, cultumque ei exhibendum obeundaque divina mysteria, à quibus vel maximè avocant infinitæ distractiones, sollicitudines, pericula quoque continua peccandi, quibus negotiationes obnoxie. Hac quoque prohibitione comprehenditur illa negotiationis species, dum Clerici & religiosi conducunt aliena prædia & fundos, non quidem ad sui suorumque sustentationem, quando ad eam non sufficiunt fructus ex propriis fundis collecti; sed lucri causâ. *c. pervenit. 21. q. 3. c. secundum h. t.* Abb. *ibidem. num. 2.* & Fagn. *n. 11.* Castrop. *tr. 16. d. 4. p. 13. §. 3. n. 4.* Wiestn. *h. t. n. 9.* Pirh. *n. 6.* ob easdem rationes. Actus tamen istiusmodi negotiationis invalidi non sunt, etsi peccaminosi Molin. Less. Pirh. *LL. cit.* Excusantur quoque à peccato saltem gravi, qui semel iterumve negotiati sunt, quia negotiator seu mercator non dicitur, nisi à frequentatis actibus. Ugolin. *de off. Episc. c. 13. §. 15. n. 3.* Barbos in *cit. c. secundum h. t. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 3.* Item excusantur à peccato saltem gravi à pluribus AA. qui negotiationem propriè talem exercent per alios totam industriam præstantes. v. g. tra-

dendo pecunias laico vel societatem ineundo cum uno vel pluribus, qui soli negotientur, tum quia cessat ratio prohibitionis; dum negotiatio per alium exercita non ita distrahit animum, neque peccata, quæ committit ille, per quam fit negotiatio, imputantur clerico, solum pecuniam ad negotiationem licitam subministranti. ita arg. *Clem. 1. de vita & honest. cler. Molin. l. c. num. 13.* Less. *l. c. num. 8. in fine.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. §. ult. num. 90. in fine.* Item excusantur ab omni peccato, qui ex necessitate negotiantur, nimirum dum alio medio se sustentare nequeunt. *gl. in cit. c. secundum. v. causâ lucri.* Abb. *ibidem. num. 1.* Nav. *l. 3. conf. 3. num. 2.* Pirh. *h. t. num. 2.* & alii, qui tamen cum D. Thom. *2. 2. q. 187. n. 3.* notant pro necessitate propulsanda prius recurrendum ad laborem manuum (intellige, si status & conditio necessitatem patientis permittat) quam ad negotiationem.

3. Dein prohibita quoque clericis est negotiatio illa minus propriè talis, dum nimirum res causâ lucri emptæ, & immutatæ carius venduntur propter *cit. textus* pro priore parte; quia proximè accedit ad negotiationem strictè talem, & adhuc dedecet statum eorum. ita Molin. *l. c. num. 6.* & seq. Laym. *l. c.* Pirh. *n. 4.* Wiestn. *n. 7.* Dixi: *lucris causâ empta:* siquidem propriorum fundorum & beneficiorum suorum fructus, etsi lucri causâ immutatos vendere carius possunt, æque eo, quod negotiari dicantur, Molin. Pirh. *LL. cit.* Barb. *de poss. Episc. alleg. 13. à n. 10.* Castrop. *l. c. num. 16.* quos citat & sequitur Wiestn. *n. 8.* Idem est, dum res aliquas ad artificium aliquid exercendum necessarias, perque illud immutandas emunt, non fordidè mero lucrandi studio, sed ad victum quærendum, otium vitandum, elemosinas dandas; uti olim faciebant monachi, texendo retia, corbes, storeas, & Apostolus ipse exercendo artem sceno factotiam *Actor. 18.* ita cum D. Thom. *l. c.* Molin. *l. c. n. 16.* & 17. Less. *l. c. num. 5.* Laym. Pirh. Wiestn. *LL. cit.* cum hujusmodi rerum emptarum, per immutationem reddituum cariorum pretium, non tam prioris emptionis, quam naturæ eique accedentis industriæ sit fructus.

4. Pari modo negotia sæcularia, etsi negotiationis rationem non habeant, sintque laicis licita, clericis, & vel maxime religiosis sunt interdicta propter easdem contra negotiationem adductas rationes. Verùm quia de eorum prohibitionem plurima dicta in genere ad *tit. 1. hujus lib. 3.* de iis solum, quæ ibi præterita, in particulari tractabimus *questionibus seq.* unde fit

Quest. 1056. an clericis & religiosis prohibita sit Tabellionis & notarii officium.

1. **R** Esp. clericis in sacris constitutis, dum habent competens beneficium, severè sub beneficii subtractione, appellatione remota, prohibetur officium tabellionis per *c. sicut l. c. h. t.* diligiois verò arg. *c. ut offic. §. verum. de haret. in b.* tum ex ratione generali; quia nimirum officium est sæculare publicum; tum quia est officium vile; cum tabellio vocetur servus publicus. *c. 2. de usur.*

in 6. l. non aliter. ff. de adopt. non tamen tabellio, tam qui prius erat clericus, ipso jure perdit officium tabellionis, Reiffenst. n. 5, h. t. arg. cit. c. sicut. uti nec alius proficendo in religione, officium notariatus, ut Abb. in cit. c. sicut. n. 2. licet prohibeantur de novò exercere illud. quin & clericus in sacris constitutus, si non habeat beneficium competens, secundum probabilitatem potest exercere officium tabellionis arg. c. sicut Pith. h. t. num. 25, idque præsertim in causis ecclesiasticis coram Judice Ecclesiastico, ut absolute tenent Abb. l. c. num. 6. & 7. v. g. h. c. c. 13. §. 7. etsi aliqui etiam in hoc cum Covar. 99. pract. c. 19. n. 8. concl. 2. sentiant contrarium de tribunalibus ecclesiasticis publicis, nisi omnino egeant, tunc enim in causis profanis hoc officium licitè exercent, si tamen habeant ex bonis patrimonialibus, aut aliunde clericitaliter honeste vivere possint, non licere illis exercere officium tabellionis, cum sit genus quoddam negotiationis, tradit Idem cum Fagn. in c. sicut.

2. Extenditur quoque responsio ad clericos in minoribus tantum constitutos, si beneficium competens habeant, & non egeant, quia nemo militans deo immiscere se debet negotiis secularibus juxta c. l. h. t. & c. eos. 20. q. 3. Ac ita tenent Abb. in c. sicut. n. 7. Host. ibid. v. ordinibus. Pith. h. t. num. 26. Quod ipsum extendit Fagn. in idem. c. n. 27. Ad clericos minoristas carentes beneficio, si habeant congruam sustentationem ex patrimonialibus aut aliunde. His non obstante cit. c. sicut, quod loquitur tantum de constitutis in sacris. siquidem in civitate Esculanensi, ad quam dirigebatur cit. c. sicut. Soli initiati majoribus ordinibus exercebant officium tabellionum, manente interim dispositione juris communis antiqui, secundum quod nulli clericorum licebat negotiari, aut secularia negotia exercere, nisi egeret. ita Fagn. & cum eo Pith. LL. cit. de cætero licere clericis, saltem in causis ecclesiasticis, exercere officium tabellionis seu notarii, ubi sic habet consuetudo, tenent Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 8. num. 4. & plures alii apud Barb. in c. sicut. n. 9. cum in causis ecclesiasticis illud exercere absolute non dedecet clericos, adeoque talis consuetudo induci possit. Illud verò in dubitatum per c. ut officium. §. ad conscribendas, de heres. in 6. posse tam regulares quam seculares clericos esse notarios & tabelliones in causis fidei ob ejusdem favorem. Item constat, postea clericos in sacris constitutos, habentes beneficium ecclesiasticum, esse notarios in curia Romana ob tacitum consensum Pontificis (qui illos ad hoc habilitare censetur) & ob tantæ Curie dignitatem, ut Abb. in c. sicut. n. 6. Covar. l. c. Pith. h. t. num. 27. Poterit valere, & fidem facere instrumenta à Notariis clericis (intellige, qui alias prohibentur esse notarii, & exercere hoc officium) facta, etiam in causis secularibus, antequam interdicitur illi officium & exercitium notariatus, astruit cum Hist. in c. sicut. §. de converso, col. 2. Pith. n. 28. Secus esse, seu non valere facta, postquam illi officium est interdictum publice per edictum solenne promulgatum, ait Idem; cum gesta ratione publici officii post interdictum superioris non teneant per c. veritatis & c. fin. de dolo; non secus ac contractus factus à prodigo, postquam illi interdictum bonis per Judicem, non valet juxta l. is cui. ff. de V. O. valere tamen, si ante interdictum illud palam & publice factum sit, cum gesta ratione officii publici valeant, saltem quò ad partes igno-

rantes simile interdictum quamvis tale interdictum non palam factum in præjudicium clerici cedat, ita, ut agens contra illud non tantum peccet, sed etiam privari possit beneficio, aliterque puniri. Abb. l. c. num. 10. & 11. Covar. l. c. concl. 4. §. quod si sacerdos. dicens esse communem. Pith. num. 28. Vide de his plura ad tit. 22. l. 2. præsertim q. 691.

3. Quod verò speciale est quo ad monachos & religiosos (utpote respectu clericorum secularium, ut arg. c. sed nec. in fine. h. t. Covar. l. c.) ita iis interdictum officium tabellionis, ut instrumentum novum ab iis factum sine licentia Abbatis seu Prælati sit ipso jure nullum ob defectum potestatis. quamvis post professionem complecti & signare possint instrumentum, quod ante professionem aut ingressum illorum in religionem ab iis in protocollo eorum conscriptum, & coram illis à contrahentibus in perfectam conventionem deductum. Ita cum gl. in cit. c. ut officium. & Covar. l. c. Pith. cit. n. 28. in fine.

Quæst. 1057. an & quos actus judicarios exercere possint clerici & religiosi.

1. Resp. primò: clerici, etiam in minoribus constituti, prohibentur esse advocati coram judice seculari, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, id est, habeant beneficium. c. 1. de postulando. Unde à contrario sensu rectè inferitur, posse esse advocatos, si beneficium non habeant, ut Pith. h. t. num. 8. Procceditque ea prohibitio à fortiore de advocatia in causa sanguinis, præsertim pro actore contra reum, ut cum Abb. in c. sententiam. h. t. num. 15. Pith. num. 13. in fine. Verùm vide me de his fufius. Lib. 6. q. 981. & q. 982. num. 5.

2. Resp. secundò: prohibetur districtè & specialiter clericis exercere actiones judicarias sanguinis seu agitare judicium sanguinis, quò spectat cognoscere causas sanguinis, dictare seu scribere sententiam mortis vel mutilationis membrorum, multoque magis ferre talem sententiam, præcipere aliis, ut mortem vel mutilationem per talis sententiam inferant. Item præstare consilium, & auxilium ad illa, interesse similibus actibus præsertim executioni talis sententiæ, ita ut, si mors vel mutilatio sequatur, irregularitatem incurrant, deponique debeant ab officio & beneficio: pro ut constant ex c. clericis. juncta gl. v. aut judicent. c. sententiam eod. juncta gl. v. sanguinis. Extundunturque hæc prohibitio & pœnæ ad clericos minorum Ordinum, si beneficium habent, ut patet ex cit. c. sententiam. loquente generaliter Abb. in c. clericis num. 7. ubi etiam ait, verbum in sacris ubi positum accipiendum latè pro omnibus ordinibus, tam majoribus, quam minoribus quam tamen irregularitatem & depositionem non incurunt, si absque ulla alia cooperatione judicio sanguinis interfuerunt solum, etsi alia ratione puniri debeant; quia contra præceptum Canonum interfuerunt Glim. cit. c. sententiam. Abb. ibid. n. 6. Pith. h. t. n. 13. Item eam non incurunt, aut malè agunt, dum rogati consilium, illud dant, non quidem in specie consulendo, ut quis occidatur, quod non possunt, sed in genere respondendo. V. g. fures sunt suspendendi, incestuosi cremandi. vel etiam interrogati exhibere possunt jura & Doctores, ut ipse interrogans videat quid juris. ita Arg. c. pestim.

num. 33. q. 8. Barbol. in c. ex literis. de excess. pral. n. 5. Molin. Tom. 5. tr. 3. d. 74. n. 5. Reif- fenst. b. t. n. 13. ratio de cætero sic statuendi Jure Ecclesiastico fuit, quod, cum Clerici electi à Christo ad tractanda mysteria salutis, imitandamque ejus mansuetudinem ac lenitatem, judicium sanguinis, ad quod spectant dictæ actiones, maximè dede- ceat eorum statum & conditionem. Ac proinde, dum Episcopus seu quicumque alius Prælatus vel Clericus jurisdictionem temporalem obtinens (sive ratione Ecclesiæ seu dignitatis ecclesiasticæ, sive ratione patrimonii, ut Pirh. *b. t. n. 14.* cum Frane in *cit. c. 3. & ult. b. t.*) licet per se has actio- nes exercere nequeat, potest tamen curare, eas per alios sibi subiectos exerceri. qui specialis est casus, in quo potest quid per alium, quod per se ipsum non potest, ut Gl. *fin. in. c. 3. h. t. in 6.* quare homicidio vel alio maleficio, quod mortem meretur vel mutilationem, commisso in sua jurisdictione, potest ac debet suo Judici aut alii cuicumque dele- gare seu injungere, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur absque eo, quod irregu- laritatem incurrat; quamvis ejus Judex vel alius, contra malefactores processerit, ad pœnam sangui- nis justitiæ mediante. quin & absque eo, quod, si Judex processerit contra justitiam, Prælato dele- ganti id imputari possit ad culpam; quia mandavit fieri justitiam, ita serè in terminis. *c. 3. b. t.* Cir- ca quæ passim notant AA. in *cit. c. Clericus 5. aut ju- dicent.* & Abb. *ibid. n. 12.* consultum esse, ut tales Prælati non specialiter, sed generaliter commit- tant alicui Laico potestatem cognoscendi causas sanguinis, & faciendi vindictam de omnibus male- factoribus. Quod si verò in tali causa ab illo Juce delegato appellare lubet, appellandum Prælatum delegantem, qui hanc causam rursus alteri dele- gare debet; cum etiam in casu appellationis per se ipsum talem causam cognoscere nequit. ut Gl. in *c. Clerici. b. t. V. aut judicent.* & in *c. 3. V. Episcopus.*

Quæst. 1058. An & quæ officia milita- ria obire possit Clericus?

R Esp. Præterquam quod Clericis juxta dicta su- pra, per se pugnare, seu manum cum hoste conferere nullatenus licitum sit, prohibitum quo- que est Clericis in sacris constitutis, multoque magis religiosis, per *c. eos. 20. q. 3. c. quicumque. 23. q. 8. cit. c. sententiam* obire alia officia militaria, v. g. Belliducum & Capitaneorum, ordinando aciem, sive in bello justo, sive injusto; præstendo ballistariis & dirigendo machinas, & tormenta bel- lica. Idem dicendum videtur de Commissariis bellicis castra sequentibus, & comæatum seu annonam bellicam comparantibus & distribuentibus. ac ita ex ea ratione, quod similia tractare dedecat specialiter electos in milites Christi, quorum potius est vacare orationi, & imitari, ut dictum, ejus mansuetudinem, quam etiam hac ratione coope- rari ad effundendum sanguinem, docent cum D. Thom. 2. 2. q. 20. a. 2. Suar. *de bello. d. 13. f. 3. n. 5.* Molin. *de 7. & 7. tr. 3. d. 108. n. 12.* Pirh. *b. t. n. 21.* & alii communiter. quod aliqui cum Covar. in *clém. si furiosus. p. 2. §. 3. n. 2.* negant de Clericis minoribus allegantes consuetudinem. Alii verò, inter quos Wiestn. *b. t. n. 12.* & hos, si benefi- cium habent & privilegium fori, & animum in Clericatu perseverandi, comprehendi volunt hac pro- hibitione & citatis juribus, utpote indistinctè lo- quentibus, saltem extra casum extremæ necessitatis. De cætero Sacerdotes & Religiosi piè ac laudabili- ter sequuntur castra, & in iis versantur, ut militi-

bus celebrent missam, aliaque sacramenta & divina administrent, eosque ad pugnandum, si bellum ju- stum sit, animent, modò ad occisionem alicujus ho- stium expressè & determinatè non excitent. nonob- stante, quod in *C. 5. de penis*, dicantur deponendi juxta Canonum veterum rigorem, qui ad confi- gendum milites incitant. quia id intelligendum de incitatione ad pugnam injustam, vel ad determina- tam hostilium personarum occisionem, ut Suar. *de censur. d. 47. f. 6. n. 1.* Conz. in *c. fin. de homicid. n. 14. in fine.* Wiestn. *b. t. n. 13.*

Quæst. 1059. Num Clerici esse possunt gubernatores seculares, officiales & ministri Laicorum.

R Esp. Ad primum: *c. Clerici. §. inhibemus. b. t.* sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ post monitionem canoni- cam (ut ex verbo *subiaceant*, quo utitur textus, mi- nisterium hominis non exigente colligit Nav. *c. 27. n. 117.* Suar. *l. c. d. 23. f. 3. n. 22.*) Sacerdotibus (latius accepto homine, nimirum comprehen- do Diaconos & Sub-Diaconos, seu in genere omnes in sacris seu majoribus ordinibus constitutos, ut Arg. *Can. de crimine 15. q. 5. & c. si quis. de cobab. cler. & mul. Abb. in cit. Clerici. n. 8.* Sylv. *V. ex- communicatio. q. n. 28.* apud Wiestn. *b. t. n. 20.* qui tamen addit, hanc hujus nominis exceptionem raram & in jure vix receptam extra casus exceptos) prohibetur officium Vice-Comitis (qualis dicitur, cui dominus secularis committit jurisdictionem in aliquibus castris vel terris, ut Pirh. *n. 19.* ex Durand. *in specul. l. 1. pract. c. 3. tit. de Vice-Com.*) item Præ- positum quo nomine hic venit officialis Laicus. *c. ex parte de V. S. juncta Gl. V. præpositus*, vel etiam gubernator alicujus provinciæ vel civitatis. Præs- tes Curia seu Cancellariæ Principis. Dictam tamen ex- communicationem non incurrit Episcopus talem offi- cium gerendo, censurâ illius personam non afficien- te, nisi illius fiat mentio juxta *c. quæ periculosus. de sent. excom. in 6.* etsi peccet, si id faciat sine licentia Papæ. De cætero, dum talibus Prælatis comperit jurisdic- tio temporalis, licitè exercent talem jurisdictionem.

2. Resp. Ad secundum: Clerici, etiam non Sa- cerdotes, non possunt esse ministri Laicorum, aut fa- muli domestici. Arg. *c. 2. h. t.* quod, ut ibi Abb. *not. 1.* intelligendum de Clericis constitutis in sa- cris, aut beneficiatis, neque esse procuratores rerum Laicorum juxta *idem c. 2.* ne quidem extra judi- cium, ut Gl. *ibid. V. in causis*; quamvis esse possunt procuratores in judicio coram Juce Ecclesiastico secundum dicta, saltem in causis ecclesiasticis, non tamen coram Juce seculari, nisi ex caritate, amicitia, vel causa pia ad unum alterumve negotium, non ad omnia. Pirh. *n. 17.* cum Abb. in *cit. c. 2. n. 2.* & 4. juxta *c. ult. dist. 86.* Sed & prohibentur esse procuratores villarum Laicorum (per quod etiam videntur intelligendi quæstorum Laicorum) aut ju- risdictiones quasdam seculares sub principibus viris exercere. per *c. sed nec b. t.* sub interminatione de- positionis ab officio seu ministerio ecclesiastico. quin & strictius teniendus religiosus, si quid ex præ- dictis attentaverit. Pirh. *n. 18.*

Quæst. 1060. An liceat Clericis exercere chirurgiam.

R Esp. Clericis constitutis in sacris, vel etiam in minoribus tantum habentibus beneficium competens (prohibita siquidem constitutis in sa- cris prohibita quoque censentur constitutis in mi- noribus, dum beneficium habent, ut Sanch. *L. 6. mor. c. 15. n. 15.* Nav. in *comment. 4. de regul. in fine*) prohi-

prohibitum est exercere chirurgiam cum aduisione & incisione per *c. sententiam*, §. nullus. *h. t. &* multò magis religiosis per *c. tua nos, de homicidio*. non tam propter mortis periculum (propter quod irregularitatem quoque incurrit, si mors sequatur eorum, quos curant, absque tamen culpa Clericorum curantium. ut cum Sanch. *l. c. n. 18*, Pirh. *n. 21* not. 3.) sed quia dedecens est eorum statum. Extendique hoc ipsum ad Clericos exercentes chirurgiam sine aduisione & incisione, ex ea ratione, quòd, etsi id in specie non prohibitum ullo jure sit, tamen tractare negotia secularia ipsis generaliter prohibitum, probabilis sententiæ Sylv. *V. medicus. q. 2*. Nav. *in man. c. 15. n. 110*. Castrop. *cit. d. 4. p. 13*. §. 2. *n. 3*, Pirh. *l. c. Wiestn. h. t. n. 14*, contra Covar. *in clem. si furiosus. p. 2. §. 4. n. 2*. Quod dictum de chirurgia, idem dicendum de arte medica exercenda, ut AA. *cit.* Nihilominus tamen chirurgia & ars medica licite exercetur, saltem sine aduisione & incisione, circa personas miserabiles, cognatas, pietatis aut necessitatis causâ, dum nimirum alius chirurgus vel medicus, aut idoneus haberi nequit; vel si Clericus exercens eam sit pauper, vel habeat ad hoc licentiam Papæ; cum tunc tali ratione susceptum exercitium hoc non habeatur pro negotio seculari. ita Sanch. *l. c. n. 19*, Ugolin. *de officio Episc. c. 13. §. 14. n. 1*. Castrop. *l. c. n. 4*, Pirh. *Wiestn. LL. cit.*

Quest. 1061. Quenam studia addiscere vel docere sit licitum vel prohibitum religiosis.

1. Resp. Primò: *c. non magnopere h. s.* districtè prohibetur religiosis post votum (per quod non intelligitur votum simplex religionem ingrediendi, sed vel votum professionis tacite aut expressæ, vel quævis vera incorporatio, per quam fit verè religiosus, ut & comprehendantur scholastici Societatis, ut Suar. *de censur. d. 23. §. 3. n. 9*.) egredi ad physicam, id est (ut passim interpretantur AA. & colligitur ex verbis præcedentibus ibi: *sub prætextu languentium fratrum consulendis corporibus*) medicinam, legesque mundanas, id est, civiles legendas, (hoc est, publicè audiendas, uti hanc vocem ferè DD. omnium sensu intelligendam ait Barbof. *in cit. c. n. 5*.) sub interminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ, si intra duos menses non revertantur ad clausuram, & reversi illis elapsis ab omnibus vitentur, in choro, capitulo mensa & cæteris omnibus ultimam locum habeant, & spem omnis promotionis amittant, nisi misericordiam sedis Apostolicæ consecuti, seu cum illis fuerit dispensatum. ita statuitur *cit. c. non magnopere*, ubi etiam adjungitur ratio sic statuendi, nimirum ne occasione studiorum & scientiæ viri spirituales in mundanis rursus actionibus involvantur, & in interioribus eo ipso deficient. cui altera ratio subjungitur *inc. ult. h. t.* nimirum ut studium Theologicum adeo Ecclesiæ necessarium, quod vilescere & negligi cæperat, jure civili è contra ad summam æstimationem adducto, postquam Longobardorum jure abrogato, Lotharius II. eumque secuti Imperatores statuerunt leges Romanas, seu jus civile servari in tribunalibus, & in Academiis publicè prælegi, ac ita omnes ad illud convolarent spe honorum.

2. Circa quæ notanda sequentia: primò ad hanc excommunicationem, cæterasque pœnas incurrendas, ut non revertantur intra duos menses. si enim ante illos elapsos revertantur, excommunicationem & dictas pœnas non incurrit, pro ut constat ex citatis LL. Requiritur secundo, ut exeant è clau-

stris; ita ut, si intra claustra audiant medicinam vel Jus civile, aut eis studeant, etsi peccent, non tamen incurrant dictam censuram, aliasque illas pœnas; cum pœnæ non debeant extendi ultra proprietatem verborum. non obstante, quòd eadem videatur ratio de non exeuntibus; cum religiosus exiens è claustro ex causa illicita & lege prohibita magis peccet, quàm si rem eandem patret intra clausuram, quia peccet dupliciter, ita Pirh. *h. t. n. 31*. Requiritur tertio, ut exeat dicto animo audiendi Jus civile vel medicinam, ita ut si religiosus exeat illicite ob alios fines, vel etiam fiat apostata, peccet quidem graviter, pœnas tamen hic statutas non incurrat. uti & eas juxta probabiliorem, non incurrit, si exeat monasterio ad audiendas has scientias in loco aliquo publico alicujus Academiæ, sed extra non habitet, verùm redeat quotidie ad clausuram. Pirh. *l. c.* cum Suar. *l. c. à n. 11*. Arg. *cit. c. non magnopere*, dum ibi dicitur incurri illas, si intra duos menses non redeat.

3. Notandum secundo: incurri tamen eas adhuc juxta probabilem, quam tenent Abb. *in c. non magnopere n. 8*. Suar. *l. c. n. 14*, Pirh. *l. c.* si animo eas audiendi scientias, eas tamen non audiens, moratur extra clausuram ultra duos menses; è quòd *cit. c.* non excommunicantur religiosi audientes, sed exeuntes animo audiendi illas, si emanent ultra duos menses. uti & illas pœnas incurere illum astruit tum Suar. *n. 15*, Pirh. *l. c. si* egressus monasterio ob alium finem, five bonum, five malum, mutato dein consilio, extra claustrum maneat ultra illos duos menses, principaliter, ut audiat medicinam vel jus civile; è quòd primus egressus licet non fuerit destinatus ad illum finem, permanentia tamen illa destinata fuit ad illum finem. Secus tamen est, seu non incurrit illas pœnas, si exiens monasterio animo studendi illis scientiis, postea, mutato illo animo, audit Theologiam vel Jus Canonicum, etsi emanet ultra duos menses; cum verba legis, præsertim pœnalis, sint accipienda cum effectu juxta *L. 1. §. hæc autem ff. quod quisque juris*, ita Abb. *in c. ult. h. t. n. 9*, Suar. *Pirh. LL. cit.*

4. Notandum tertio: quòd tempus illud duorum mensium incipiat currere à die egressus è claustro, & non à die, quo cepit audire illas scientias; ipsam verò excommunicationem non incurri ipso facto à die egressus, sed non nisi elapso illo bimestri. Abb. *l. c. n. 8*. Suar. *n. 16*. Pirh. *n. 33*.

5. Notandum denique, religiosos nequidem cum licentia sui Prælati posse egredi ad audiendas illas scientias; tum quia dicta constitutio *c. non magnopere* dicendo; nulli omnino permittatur exire; videatur à demissa potestate dispensandi in hoc; tum vel maxime, quia inferiores Papæ non possunt dispensare in legibus Canonicis, præsertim desumptis ex decretis concilii generalis (qualis est constitutio illa *c. non magnopere*, delumpta ex Concilio Turonensi sub Papa Alexand. III.) nisi illis specialiter concessum. Abb. *l. c. n. 5*. Suar. *n. 13*. Pirh. *l. c.* de cætero nullo jure communi prohibentur studere juri, ut cum communione Fagn. *in c. fin. h. t. n. 42*. Barbof. *ibid. n. 3*. præsertim si id faciant pro pleniore intellectu Juris Canonici ac Theologici.

6. Resp. Ad secundam: prohibetur quoque sub excommunicatione, cæterisque pœnis Clericis sæcularibus audire publicè medicinam & Jus civile per *c. ult. §. quia verò. h. t.* ubi Honorius III. statutum Concilii Tunonensis extendit ad Archidiaconos, plebanos, (id est, qui sub se Capellas seu Ecclesias minores habent) Præpositos, Cantores & alios Clericos personatus vel dignitates ecclesiasticas habent-

habentes, nec non ad Presbyteros seu sacerdotes alios, ex ea ratione, ut liberius ac diligentius studeant Theologiæ, sub qua hoc loco comprehenditur canonicum, utpote æque utile Ecclesiæ Dei quam Theologia. Abb. in *c. ult. h. t. n. 7.* Extenditur hæc prohibitio ad clericos regulares, habentes dignitates, vel si sint presbyteri, hæc dictas scientias audiant in propriis ædibus aut in aliis locis. Arg. *c. 1. h. t. in 6.* ita tamen, ut tempus duorum mensium illorum incipiat currere eo ipso, quo incipiunt audire illas facultates. Suar. *n. 19.* Pirh. *l. c.* Excipiuntur tamen ab hac prohibitione Rectores ecclesiarum parochialium, nisi eadem sint plebanæ; modò tamen Rectores illi sacerdotes non sunt. Excipiuntur quoque clerici sæculares inferiores, diaconi & subdiaconi, multoque magis in minoribus solùm constituti, dum dignitatem vel personatum habent.

7. Porrò clerici sæculares vel etiam religiosi, qui excommunicationem incurrerunt ob auditas scientias prohibitas, ab ea absolvi possunt ab Episcopo proprio, vel ab Episcopo, in cuius diœcesi student, & ubi deliquerunt; cum Papa absolutionem ab hac censura non reservaverit. Abb. *l. c. n. 11.* Pirh. *h. t. n. 36.*

8. Resp. ad tertium; clerici tam regulares quam sæculares docere licitè possunt jus civile & medicinam. ita docent. Abb. *l. c. num. 16.* Suar. *l. c. num. 17.* Nav. in *man. n. 27. num. 116.* Fagn. in *cit. c. ult. n. 41.* Gonz. in *c. non magnopere n. 5.* Pirh. *h. t. u. 27.* Wiestn. *h. t. n. 25.* contra Host. in *c. fin. n. 3.* Sylv. v. *excommunicatio 9. q. 26.* Rebuff. de *nominat. q. 1. à n. 18.* Menoch. de *arb. cas. 425. n. 33.* docentes contrarium ob rationem adductam ex *c. non magno pere.* nimirum ne spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur. Ad quod tamen facilè responderetur: docentes has scientias, quas priùs didicerunt & possident, quam primò addiscentes illas non ita facilè involvi dictis actionibus, præter quam, quod illi ad docendum bono plerumque zelo ad scientiam per se bonam, & ad reipublicæ conservationem necessariam aliis communicandam moveantur, ut proinde ad eos penalem hanc constitutionem opus non fuerit extendi. Sed neque obstat *cit. c.* prohibens legere has scientias; cum, ut dictum to *legere* non significet docere. Quin etiam possunt clerici & monachi, non tantùm in Theologia & Jure canonico, sed & in jure civili, cui antecederent operam dederunt, ad doctoratum promoveri sine licentia ordinarii; monachi tamen aliique regulares non sine licentia suorum Prælatorum. Nav. *l. 3. consil. 2. h. t.* Pirh. *h. t. num. 38.* Rodriguez *4. q. regul. Tom. 2. q. 75.*


Quæst. 1062. quæ sit pœna religiosorum sine licentia suorum prælatorum accedentium ad studia, & docentium illos.

Resp. primò *l. 1. h. t. in 6.* statuitur eis pœna excommunicationis in quoscunque professos, accedentes ad quævis literarum studia, adeoque &

Theologiæ & Juris canonici, etiam non mutato habitu, sine prælati licentia & conventus illius, aut majoris illius partis consilio. Cui dispositioni locus non est, quando religiosus se alio confert, ubi est studium, & ibi habitat in conventu sui Ordinis causâ studendi intra claustra, si ibi doceatur, vel ex eo aditurus Scholas, quæ sunt extra conventum; tunc enim sufficit licentia prælati proprii nimirum à quo dimittitur sine consilio conventus, quod solum requiritur, quando se alio confert ad habitandum extra claustra propter studium. Suar. *l. c. f. 4. n. 35.* Azor. *p. 2. l. 12. c. 13. q. 5.* Sanch. *l. 6. mor. c. 8. n. 75.* Pirh. *h. t. n. 44.* Neque locus est dictæ dispositionis in religionibus, in quibus danda licentia proficiscendi ad habitandum extra claustra non est penes Prælatum immediatum, sed penes Provincialem vel generalem; quia de his non loquitur *cit. c. 2.* utpote qui conventum non habent, sed & à superiore proximo conventus. Porrò juxta probabiliorè ad hanc licentiam dandam non requiritur consensus conventus, sed sufficit consilium; cum nulla fiat mentio consensus, juraque, dum requirunt consensum, id exprimunt. Suar. *f. 4. n. 17.* Pirh. *l. c.* Sed neque necessarium esse, totum conventum convenire ad petendum ab eo consilium, sed sufficere majorem partem arbitrio Prælati convenire, astruit Pirh. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 82.* sentiente contrarium, nempe convocandum totum conventum ad petendum ab eo consilium, licet necessarium non sit totius conventus beneplacitum, sed sufficiat majoris partis assensus.

2. Resp. Secundò: eodem *c. 2.* statuitur excommunicatio ipso facto incurrènda in doctores seu magistros (quo nomine veniunt, qui actu docent, etsi nullo gradu insigniti, ut Sanch. *l. c. num. 96.* contra Suar.) qui religiosos habitu suo dimisso, (secus, si retento habitu; quamvis tamen incurrant excommunicationem aliam, nimirum communicando cum discipulo excommunicato, quam tamen etiam non incurrunt, nisi eam religiosus emanendo ultra duos menses incurrerit. Pirh. *l. c.*) leges vel medicinam (secus est de aliis scientiis) docent, aut in scholis suis retinere præsumunt scienter; secus, si id fecerint ex ignorantia etiam culpabili & crassa, modò non sit affectata, aut ita crassa ut ingens temeritas dici possit. ut Suar. *l. c. num. 39.* Sanch. *n. 100.* Pirh. *n. 45.* Per retinere verò intelligitur positivè ad remanentiam concurrerorogando, consulendo, sua autoritate & favore defendendo, aut etiam violentia aliqua adhibita cogendo. Non tamen etiam tenetur doctor seu magister talem religiosum vi expellere, nisi sit rector universitatis, aut alia jurisdictione ad hoc præditus. Neque tenetur eo remanente officium suum docendi intermittere, sed potest eam tolerare, & permissivè se habere. ita Suar. *l. c. n. 40.* Sanch. *l. c. n. 97. & 98.* Pirh. *num. 46.* Sed neque excommunicationem incurrunt magistri docentes leges vel medicinam, si in scholis retinent sacerdotes aliosque clericos sæculares; cum de iis nihil, sed de solis religiosis loquatur *cit. c. 2.* & lex penalis extendi nequeat ad casus non expressos.

Finis Lib. 3. Decretalium.



INDEX